

CASUS DE SACRAMENTIS IN GENERE

SEU

De valore et efficacia Sacramentorum, de eorum materia, forma, Ministro et subjecto.

CASUS I.

VALOR SACRAMENTORUM 1°.

PARMENIO, Parochus, infantem baptizans, strepitu et tumultu nonnullorum puerorum, et baptizandi vagitibus distractus, aquam primum fundit tacens, et postea verba formæ proferre festinat. Subinde anxius nescit an possit vel debeat Baptismum iterare. Tandem se resolvit ad iterationem omittendam; sed non ideo omni anxietate caret.

HINC :

QUÆR. 1° *Quid requiratur ad valorem Sacramentorum?*

2° *Quænam unio materiæ et formæ interesse debeat?*

3° *An PARMENIO valide baptizaverit, vel Sacramentum iterare debuerit?*

SOLUTIO :

141. — *R. ad 1^m Quæs.* Ad omne Sacramentum conficiendum requiritur materia debita, forma propria et applicatio formæ ad materiam per legitimum ministrum.

R. ad 2^m Quæs. Materia et forma uniri debent, vel physice, vel saltem moraliter, pro natura singulorum Sacramentorum, ita ut verba formæ applicata materiæ verificentur et effectum producant. Hinc materia et forma ad eodem Ministro necessario sunt applicanda: si unus enim materiam poneret et alter formam pronuntiaret, verba formæ non verificentur; v. g. si PETRUS diceret: *Ego te baptizo*, dum PAULUS aquam effunderet, falsum proferret PETRUS.

142. — *R. ad 3^m Quæs.* PARMENIO valide baptizavit, juxta communem sententiam, apud S. *Lig. n. 9.* Ratio est, quia videtur sufficere in Baptismo unio moralis consistens in hoc quod forma statim subsequatur materiæ applicationem, vel eam immediate præcedat. Attamen in praxi, cum plures Theologi graves contendant requiri aliquam simultaneitatem inter materiam et formam, seu, ut non perficiatur effusio aquæ quin forma incepta fuerit, aut non compleatur forma quin effusio inceperit, Baptismus iterandus est, si res non ita peracta fuerit. Hinc PARMENIO Baptismum iterare debuisset, et adhuc iterare debet, sub conditione.

CASUS II.

VALOR SACRAMENTORUM 2°.

CALLIXTUS, Parochi adjutor, confessionem TITII graviter decumbentis excipiens, intelligit illum habere prolem ex Matrimonio putativo cum BERTA. Ut tanto malo remedium efficax afferat, judicat instaurandum esse Matrimonium istud. Quare TITIUM interrogat, utrum BERTAM in veram uxorem accipiat. Annuit TITIUS, et consensum coram duobus testibus advocatis ratum habet. Vocatur BERTA; ei venienti obvius exit CALLIXTUS cum testibus, et ait: *Te TITIUS in veram uxorem accipit: nonne tu quoque eum in virum accipis?* Respondet BERTA: *Accipio.* His peractis, ad TITIUM adeundum properant, sed, heu! illum jam sensibus destitutum inveniunt.

HINC :

QUÆR. 1° *An validum sit Matrimonium inter TITIUM et BERTAM celebratum?*

2° *An recte egerit CALLIXTUS?*

SOLUTIO :

143. — *R. ad 1^m Quæs.* 1° Validum est Matrimonium TITII et BERTÆ, quia adfuit unio moralis sufficiens inter utriusque consensum. Etenim consensus TITII fuit legitime præstitus coram Vicario Parochi et testibus idoneis; et paulo post accessit etiam consensus BERTÆ coram eodem Sacerdote et iisdem testibus. Ergo nihil deest ad Matrimonii valorem. Sufficit enim in Matrimonio unio moralis etiam lata inter consensum sponсорum, quia Matrimonium per modum contractus initur: in contractu autem minime requiritur, ut consensus utriusque contrahentis simul ponatur. Attamen, ad validitatem hujus Matrimonii, supponi debet TITII rationis usum servasse usque ad tempus quo BERTA et ipsa consensum præstitit; secus enim unio requisita deesset, siquidem consensus viri moraliter non perseveraret.

144. — *R. ad 2^m Quæs.* *Per se* modus ille contrahendi Matrimonium illicitus est, utpote praxi et ordinationi Ecclesiæ oppositus. Sponsi enim ambo et testes coram Sacerdote præsentibus esse debent, nisi Episcopus aliquando dispensaverit, ut fit, gravi de causa, quando Matrimonium per procuratorem celebratur. Non videtur tamen damnandus Sacerdos, si reapse timuit ne tempus expectandi adventum BERTÆ deficeret, ut reapse defecit. Igitur, obtenta moribundi facultate, potuit cum testibus ire obviam sponsæ. Etenim quod est validum et *per se* illicitum de jure positivo, facile, urgente aliqua necessitate, licitum fieri potest.

CASUS III.

MUTATIO MATERIÆ.

1° SYLVIUS, Parochus, Oleo infirmorum in finem vergente, huic quantitatem majorem olei non benedicti addidit, et sic plurimos moribundos

Extrema Unctione munivit. Alias, eodem Oleo penitus deficiente, sacro Chrismate ægrotos inunxit, et ad cœlites immisit.

2° TROPHIMA, obstetrix, dum Missæ solemnī SABINI neo-Sacerdotis, prima vice celebrantis, interesset, eumque egregie Præfationem cantantem audiret, lætabunda in media turba fidelium exclamavit: *Optime sane! Quantum profecit! Nil mirum; ego enim ipsa eum baptizavi, et lactis copiam cum aqua immiscui!*

HINC:

QUÆR. 1° *Quænam mutatio materiæ et formæ Sacramentum efficiat invalidum?*

2° *An SYLVIVS valide et licite Extremam Unctionem ministraverit in utroque casu?*

3° *Quid de Baptismo SABINI? et quid nunc in praxi faciendum sit?*

SOLUTIO:

145. — *R. ad 1^m Quærs.* Omnis mutatio substantialis materiæ et formæ Sacramentum invalidat, non vero mutatio mere accidentalis, licet peccatum grave inducere possit, si notabilis sit. Dicitur autem mutatio substantialis *in materia*, si eadem dici nequeat, juxta æstimationem hominum ac ea quæ a Christo fuit determinata; et *in forma*, si sensus verborum a Christo intentus in alium mutetur.

146. — *R. ad 2^m Quærs.* 1° SYLVIVS invalide moribundos inunxit *in primo casu*, quia materia Sacramenti Extremæ Unctionis est Oleum ab Episcopo benedictum; atqui oleum vere substantialiter corruptum adhibuit, siquidem ex majori parte oleum non benedictum cum benedicto immiscuit. Ergo materiam substantialiter mutavit; ergo invalide Sacramentum confecit.

Debuisset SYLVIVS admiscere quidem aliud oleum, sed in minori quantitate, ut dicit Rituale Rom. de Extrema Unctione. Tunc enim *major pars trahit ad se minorem*. Imo, quamvis oleum non benedictum successive addatur in minori quantitate per decursum anni, valida tamen adhuc remanet materia Sacramenti, licet omnes partes olei non benedicti, simul spectatæ, quantitatem Olei benedicti forte superent. Constat ex Decisione S. Cong. apud S. Lig. n. 708.

2° *In secundo casu*, SYLVIVS materiam dubie validam adhibuit; convertitur enim utrum Oleum debeat esse benedictum in ordine ad Sacramentum infirmorum. Debuisset Parochus ille attendere ad Olei penuriam, antequam penitus defecisset, et aliud inquirere, vel illud cum oleo non benedicto, ut supra dictum est, vel etiam cum Chrismate admiscere. Urgente autem præsentī necessitate, potuit materiam hanc dubiam adhibere; sed satagere debuit, elapso illo casu particulari, ut materiam certam obtineret.

147. — *R. ad 3^m Quærs.* Ut sciatur utrum validus fuerit Baptismus a TPOPHIMA collatus, ab ipsa inquirendum est utrum multo minorem lactis copiam cum aqua immiscuerit, vel æqualem circiter, vel etiam majorem.

In primo casu, Sacramentum ut validum habendum est, quia est tantum mutatio accidentalis; secus in cæteris casibus, ut patet. Si mutatio substantialis fuerit, Baptismus SABINI iterandus omnino erit, et sacri Ordines repetendi.

CASUS IV.

LAPSUS LINGUÆ.

Seu mutatio involuntaria formæ.

1° SIDONIUS, Sacerdos, Sacrum faciendo, cum ad verba consecrationis panis devenisset, lapsu linguæ, aut distractione, dixit: *Hoc est Calix....* et statim ad errorem advertens, retractavit mentaliter verbum *Calix*, et reliquam formæ partem protulit, seu *Corpus meum*. Postea dubitavit num debuisset formam iterare, et etiam nunc an aliam Missam pro sti-piando accepto celebrare teneatur.

2° Alias ex linguæ præcipatione dixit: *Hoc corpus meum*, scilicet, omittendo verbum *est*; vel: *Hoc est Corpus meus*, vel *Corpus meu*, nec formam iteravit. Quamobrem ipsi novæ anxietates exortæ sunt, tum circa Sacri valorem, tum circa obligationem aliud novum applicandi.

HINC:

QUÆR. 1° *An valida fuerit consecratio in primo casu?*

2° *Quid de consecratione Hostiæ in secundo?*

3° *Quid de forma sequenti: Hoc est Corpus meus, vel Hoc est Corpus meu?*

SOLUTIO:

148. — *R. ad 1^m Quærs.* Res controversiæ subjici potest. Primo intuitu, ista forma invalida videtur, quia hæc verba nullum sensum referunt. Non satis erat ut Sacerdos mentaliter errorem corrigeret, seu per intentionem demeret verbum *Calix*, quod lapsu linguæ irrepserat: verba enim formæ materialiter accipienda sunt, et tantum valent quantum sonant; atqui in casu nihil sonant: ergo nihil valent; id est, nihil significant. Ergo forma erat repetenda.

149. — Attamen rationes quæ in oppositam sententiam afferri possunt, minime contemnendæ sunt. Etenim verba tantum valent quantum fert usus humanus. Porro in usu humano, si lapsu linguæ effluat ex ore verbum indebitum, statim sola vocis mutatione corrigitur, neque orationis initium repetitur. Igitur forma, ubi prolata est vox indebita *Calix*, potuit sufficienter a celebrante, mutato solum verbo indebito, corrigi. Ergo consecratio fuit valida saltem probabiliter, sicut valet Baptismus sic collatus: *Ego te baptizo in honore.... in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Propter dubium vero Sacerdos debuisset formam repetere sub conditione. Sed, peracto Sacro, non debuit aliud pro sti-piando accepto celebrare. Imo, nec deberet aliam Missam celebrare, etiamsi illa prior consecratio esset certo invalida, quia probabiliter consecratio unius speciei

sufficit ad essentiam Sacrificii. Sic *Lacroix*, l. 6, part. 2, n. 15, etc. Attamen sententia communior et probabilior tenet utramque consecrationem requiri ad essentiam Sacrificii. *Cum S. Lig. de Euch. n. 306.*

150. — *R. ad 2^m Quæ.* Invalida est hæc forma : *Hoc Corpus meum*, quia, verbo deficiente, nullus sensus his verbis exprimitur. Etenim, licet in lingua latina soleat sæpe omitti verbum, hic tamen prætermitti nequit. Ratio est : 1^o quia nihil reperitur in vocabulis præcedentibus quod indicet verbum supplendum esse ; 2^o quia non tantum requiritur verbum ad sensum propositionis enuntiandum, sed etiam ad Corpus Christi efficiendum : verba enim formæ non sunt solum enuntiativa, sed etiam practica, seu id efficiunt quod significant.

151. — *R. ad 3^m Quæ.* Non censetur invalida hæc forma : *Hoc est Corpus meus*, vel *Hoc est Corpus meu*; mutatio enim ista ab omnibus Theologis ut accidentaliter habetur, quia corruptio in fine verborum, eorum sensum non destruit, et insuper genus masculinum grammaticæ tantum adversatur.

CASUS V.

MUTATIO FORMÆ.

BERTHUSA obstetrix, infantem recens natum, et jamjam cum morte luctantem, sequenti formula baptizaverat : *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti, atque Beatæ V. Mariæ*. Parens vero hujus prolis, qui ad modum hunc baptizandi advertit, id Parocho denunciavit. Hic autem dubitat utrum proles sit baptizanda, tum propter omissionem duplicem vocis *et*, tum propter additionem nominis *B. M. Virginis*. — Alias eadem BERTHUSA alium infantem jamjam morientem baptizans, ut citius formam proferret, dixit : *Ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Trinitatis*.

HINC :

QUÆR. An BERTHUSA valide baptizaverit : 1^o bis omittendo vocem *et*; 2^o addendo nomen *B. M. Virginis*; et 3^o dicendo : in nomine Sanctissimæ Trinitatis?

SOLUTIO :

152. — *R. 1^o BERTHUSA* valide baptizavit omittendo *et* ante nomen Filii, quia, ex more loquendi ordinario, in enumeratione ponitur tantum *et* ante ultimam vocem enuntiandam. Dubia autem est forma, si *et* omitatur ante *Spiritus Sancti*, quia tunc processio Spiritus Sancti destruitur, siquidem intelligi potest modo adjectivo, sive Patri, sive Filio referendo.

2^o Valida est forma cum additione *Beatæ Mariæ Virginis*, quia est completa jam forma cum hæc verba adjiciuntur. Excipiunt, nisi minister mente hæretica ab initio prolationis formæ intendat conjungere *Beatam Virginem* cum tribus personis *SS. Trinitatis*, ita ut valor et efficacia Baptismi æque a Matre Dei pendeat.

3^o Nihil autem valet saltem probabilius Baptismus collatus *in nomine*

SS. Trinitatis, quia in hac forma non sat distincte exprimuntur singulæ personæ divinæ, siquidem vox *Trinitas* confuse et implicite tantum personas significat. *S. Lig. n. 111.*

CASUS VI.

INTERRUPTIO FORMÆ.

CORNELIUS, Sacerdos, pœnitentem, peracta confessione, absolvebat. Verum, postquam protulisset priora verba *Ego te absolvo*, respiciens, animadvertit eum jam e sacro tribunali discessisse; quapropter eum revocavit dicendo : *Quid est hoc? quare non expectasti? Revertere, et genuflecte usquedum te absolverim*. Illo autem reverso, Confessarius addidit verba reliqua, scilicet, *a peccatis tuis*.

Alias, quum infantem baptizaret, et jam dixisset : *Ego te baptizo*, mox ad pueros confabulantes conversus, formam interruptit clamans : *Silete, garruli; silete, pueri pessimi; absurdi pueri!* Et postea perrexit : *In nomine Patris et Filii et Spi* (hic subito sternutat et tussit) *ritus Sancti*.

HINC :

QUÆR. 1^o Quænam interruptio vitiet formam Sacramenti?

2^o An CORNELIUS invalide absolverit, et baptizaverit, in exposito casu?

3^o An illicite egerit, et quatenus? Quid facere debuisset? vel quid consultius egisset?

SOLUTIO :

153. — *R. ad 1^m Quæ.* Non potest bene determinari; sed attendendum est ad æstimationem communem hominum in variis circumstantiis. Interjectio, sternutatio, brevis tussis, valori formæ non nocet, etiamsi inter syllabas ipsas habeatur. Tussis autem multum producta inter verba ipsa, formam nullam reddit. In dubio autem utrum interruptio nimia fuerit, semper forma integra repetenda est.

154. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o CORNELIUS valide absolvit; quia interruptio verborum et interpositio non fuit tanta, ut verba sequentia *a peccatis tuis*, in morali hominum æstimatione, non censerentur conjungi cum præcedentibus *Ego te absolvo*. Attamen, si verba absolutionis repetiisset ad cautelam sub conditione, non fuisset damnandus. Sed quare sub conditione? Quia, juxta multos Doctores, sufficiunt probabiliter ad formam absolutionis verba *Absolvo te*. Ergo probabiliter pœnitens fuit absolutus ante interruptionem; ergo, si verba repetita fuissent, sub conditione id fieri debuisset. *Elbel, n. 13.*

2^o CORNELIUS valide quoque baptizavit; interruptio enim non vitiauit formam, nisi accidentaliter, quia non tollitur sensus ubi parva tantum verborum interruptio interponitur, siquidem neque intentionem loquentis, neque intellectum verborum aufert, ut ait *S. Thomas, p. 3, q. 66, art. 6.* Atqui brevis quidem fuit interruptio, sive pueros corrigendo et increpando,

sive etiam tussiendo et sternutando. Ergo validitati Baptismi nihil prorsus obesse potest. *Voit, n. 23.*

155. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o CORNELIUS illicite egit tali modo pœnitentem revocando, cum ipsius gravamine et aliorum scandalo. Minime necessarium erat illum revocare, siquidem certo moraliter præsens erat. Satis fuisset igitur formam absolutionis inceptam perficere, et non amplius de pœnitente cogitare.

2^o Etiam illicite egit, et quidem *per se* graviter, ratione scandali, aut injuriæ gravis Sacramento irrogatæ. Non enim adeo urgebat, ut pueros isto modo increparet. Numquid erat periculum in mora, ut formam sacramentalem prius absolvere non potuerit? *Voit, ibid.*

CASUS VII.

REPETITIO FORMÆ.

HENRICUS, Sacerdos, scrupulis usque ad dementiam agitatus, videtur sibi nunquam satis exprimere verba consecrationis; quare: 1^o solet ea elate dicere, mirantibus Sacro assistentibus et obstupentibus, ac ter vel quater singula repetit sequenti modo: *Hoc, hoc, hoc; est, est, est; Corpus, Corpus, Corpus; meum, meum, meum, meum.*

2^o Confessiones audiendo sæpe dubitat an verba absolutionis protulerit, et ideo ea pronuntiat et repetit.

3^o Aliquando, si videatur sibi lapsu linguæ non recte pronuntiasse ultimam syllabam verborum, eam solam repetit; v. g. : *Te absolvo a peccati tui*, ad errorem corrigendum addit *tis, tis*, etc.

4^o Quoties aliquam distractionem in forma Sacramenti proferenda patitur, ejus verba repetit.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quandonam forma repeti possit, vel debeat?*

2^o *Quomodo peccet, eam inutiliter repetens?*

3^o *Quid de HENRICO judicandum in variis casibus expositis?*

SOLUTIO :

156. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o Forma Sacramenti repeti potest sub conditione, quando est dubium prudens de ejus valore: esset enim incommodum grave, si Sacramentum deficeret, quia suscipiens Sacramentum ejus fructu privaretur; prudens autem timor hujus incommodi, causa sufficiens est formam iterandi. Ratio est, quia *Sacramenta sunt propter homines*; licet igitur Sacramentum exponere periculo nullitatis, apposita tamen conditione, si bonum hominis id requirat. 2^o Forma Sacramenti repeti debet, stante prudenti timore de ejus valore, si bonum recipientis vel Religionis necessario exigit ut repetatur: v. g. si dubium sit de valore Baptismi, vel absolutionis pro mortalibus impertiendæ, vel consecrationis, aut ordinationis. *V. Comp. n. 200.*

157. — *R. ad 2^m Quæst.* Minister Sacramenti repetens formam inutiliter, *per se* graviter peccat, quia gravem injuriam rei sacræ infert, adhibendo

verba formæ, cum sciat ea nullum effectum producere posse. Attamen in praxi excusandus est a peccato gravi, ille qui ex aliqua præcipitatione formam repetit. Etiam scrupulosus, in scrupulis obfirmatus, videtur aliquatenus a peccato, saltem gravi, liberandus, ob defectum libertatis. Sed non difficile est ut, saltem contrahendo repetendi consuetudinem, *per se* mortaliter peccet. Quare igitur, o Sacerdos! formam sacramentalem pluries repetis cum sancta Sacramenti injuria? Quare laboras scrupulo inani circa debitam pronuntiationem, et peccatum grave, quod adstruunt Theologi communiter ratione repetitionis formæ, nullatenus reformidas? Si peccatum times, scito timendum esse ubi est reapse, non vero ubi ne umbra quidem illius apparet.

158. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o Peccavit *per se* graviter HENRICUS formam Eucharistiæ adeo injuriose tractando; *per accidens* tamen, ratione dementiæ, a peccato gravi facile excusabitur. 2^o Idem etiam dicendum de repetitione formæ absolutionis; attamen ratio scandali facilius in hoc casu abesse posset. 3^o Quoad repetitionem ultimæ syllabæ verborum, hoc insaniam prorsus redolet. 4^o Peccavit etiam graviter *per se*, repetendo integram formulam Sacramenti ob aliquam distractionem, quia, non obstante distractione, haberi potest certitudo moralis de pronuntiatione debita; atqui repetere formulas cum certitudine morali de valore Sacramenti, est profanatio ejusdem gravis: ergo, etc.

CASUS VIII.

INTENTIO MINISTRI 1^o.

LUCILLUS, Sacrum celebraturus, admonetur ab ædituo tres Hostias minores in altare appositas esse consecrandas, et tribus laicis petentibus porrigendas. Annuit ille; sed ex oblivione, neque in oblatione, neque in consecratione, de iis recordatus est. Quum autem ad Communionem devenisset obstupuit cernens tres Hostias in corporali, et quartam extra corporale. Dubitans autem utrum essent consecratæ necne, eas omnes particulas post Hostiam majorem sumpsit, et laicos ad aliam diem dimisit.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quænam intentio requiratur in Ministro ad Sacramenti validitatem?*

2^o *An LUCILLUS valide consecraverit omnes Hostias in altari positas necne?*

3^o *An recte egerit?*

SOLUTIO :

159. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o Requiritur in Ministro Sacramenti intentio vera et seria saltem faciendi id quod facit Ecclesia. *Trid. sess. 7^a, Can. 11.* 2^o Non requiritur vero intentio *actualis*, sed *virtualis* sufficit; quia ad hoc perdurat, vel in eadem serie actionum, vel saltem in sua intensitate, ita ut vere in actionem Ministri influat, et actio illa vere humana dici possit.

3° Intentio autem habitualis non sufficit, neque a fortiori intentio interpretativa. *V. Comp. n. 203.*

160. — *R. ad 2^m Quæst.* 1° LUCILLUS valide consecravit tres Hostias in corporali appositas et repertas, easque laicis præbere debuisset. Ratio est, quia ejus intentio illas consecrandi fuit vere *virtualis*, cum ad istas Hostias, ab ædituo monitus, ab initio Missæ adverterit. Prior enim intentio eas consecrandi, non obstante oblivione tempore consecrationis habita, virtualiter perseveravit. *Elbel, n. 14.*

2° Hostia quarta probabilius non est consecrata. Ratio est, quia reperta est extra corporale. Sacerdos autem censi non potest velle consecrare extra corporale, cum id lege gravi Ecclesiæ prohibeatur; non censetur enim velle violare legem sub peccato mortali obligantem: habenda est igitur hæc Hostia tanquam non consecrata. Attamen non est deponenda cum aliis Hostiis non consecratis, quia Theologi graves contendunt illam esse consecratam. Adde quod forte conjuncta erat cum aliis, non solum in Missæ principio, sed etiam tempore consecrationis, et aliquo casu, v. g. per manipulum Sacerdotis, extra corporale dejecta est.

161. — *R. ad 3^m Quæst.* LUCILLUS male fecit, hanc Hostiam statim post majorem Hostiam sumendo; quia hoc est contra Rubricas, ubi statuitur, ut, si quid consumendum sit, id post SS. Sanguinis sumptionem fiat. Insuper, cum hæc Hostia probabilius non sit consecrata, Sacerdos, eam sumendo ante absorptionem SS. Sanguinis, jejunium naturale frangit.

CASUS IX.

INTENTIO MINISTRI 2°.

MEDERICUS, Sacerdos, confessiones excepturus, intentionem habet hac vice non absolvendi MARCUM consuetudinariam, licet videatur satis dispositus, ad ejus constantiam magis probandam. Accedens vero MARCUS in media turba, a Confessario non agnoscitur, idcirco ab eo absolvitur. Confessarius ad errorem statim advertens, hæret dubius et anceps; nescit enim an absolutionem iterare debeat, vel pœnitentem a Communionem impedire; tandem ad absolutionem denuo impertiendam se resolvit.

Alias, idem MEDERICUS statuerat PAULUM non hac vice absolvere, ut dignius ad Sacramentum se disponeret, et id pœnitenti jam significaverat, cum subito ex animi distractione verba absolutionis protulit.

HINC :

QUÆR. 1° *An MEDERICUS valide MARCUM absolverit; et an recte egerit absolutionem iterando?*

2° *An valida fuerit absolutio PAULO impertita?*

SOLUTIO :

162. — *R. ad 1^m Quæst.* MEDERICUS præsumendus est valide absolvisse. Etenim valide absolvit, si prior ejus intentio non absolvendi non fuit absoluta, ita ut potuerit implicite retractari per intentionem absolvendi pœnitentem præsentem. Atqui ita est; nam, sibi proponendo MARCUM non

absolvere, id statuebat, non præcise ob MARCI indignitatem, sed ut ille postea magis ad beneficium absolutionis disponderetur. Verum, si futurum errorem prævidisset tunc, numquid, illo occurrente casu, adhuc absolutionem MARCO denegasset? Nequaquam. Non potuisset enim ita statuere, quia noluisset afferre maximum incommodum pœnitenti, qui non absolutus discessisset, nec damnum illud reparare potuisset, cum illud ignoraret. Ergo intentio absolvendi in Confessario videtur omnino præponderans in casu nostro. Ergo MARCUS fuit valide absolutus. Ergo MEDERICUS, Confessarius, omnem sollicitudinem de errore debuisset deponere; et proinde absolutionem repetendo male fecit. In vero dubio, saltem conditio ab ipso apponenda fuisset. *S. Lig. de Sac. in gen. n. 28.*

163. — *R. ad 2^m Quæst. Neg.* Confessarius in hoc secundo casu evidenter caruit intentione absolvendi, siquidem suam mentem ipsi pœnitenti jam modo aperuerat. Ergo verba absolutionis, ab illo tunc contra suam intentionem prolata, nullam habuerunt efficaciam. Ergo invalida prorsus fuit absolutio.

CASUS X.

DIGNITAS MINISTRI.

ALBERTUS, Sacerdos, hamanam fragilitatem expertus, lethali noxa sese inquinaverat. Cacodæmone victus, integro mense in hoc lugendo statu perseveravit, omnia munia sacerdotalia obeundo, scilicet, concionando, Sacrum peragendo, confessiones, sive impertita sive negata absolutione, excipiendo, Communionem fidelibus distribuendo, Baptismum et Extremam Unionem, data occasione, ministrando, et pluries sponsis benedicendo. Die quodam festo, pro populo celebraturus, tanto horrore sacrilegii committendi captus fuit, ut, deficiente Confessarii copia, verba utriusque consecrationis prætermiserit, ad profanationem SS. Eucharistiæ devitandam. Tandem confessionem dolentissime instituit, sed nescit quomodo de his omnibus sese accusare debeat.

HINC :

QUÆR. 1° *Quomodo in singulis peccaverit ALBERTUS? et quomodo confiteri, vel a Confessario interrogari debeat?*

2° *Quid speciatim judicandum de omissione consecrationis, prout in casu refertur?*

3° *An teneatur semper confiteri Sacerdos, reus peccati mortalis ante Sacramenti cujuslibet administrationem; et quid, si necessitas urgeat?*

SOLUTIO :

164. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° ALBERTUS mortaliter peccavit quoties Sacramentum in hoc lugendo statu confecit; quia confectio sacrilega singulorum Sacramentorum constituit actum peccaminosum, in se distinctum et determinatum. Hinc toties graviter peccavit, quoties indigne baptizavit, et infirmos sacro Oleo inunxit; item quoties absolutionem impertivit, quia tot